ut praefatus sum, de huius cemodi sententia ad certam pertingere veritatem. Praepositam ergo questionem qui movit, obnixe nobis petentibus dignanter aperias, quoniam inter illos accipies coronam, de quibus Daniheli per angelum dicitur: qui autem dacti[a] fuerint, fulgebunt quasi firmamentum, et qui ad iustitiam[b] erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas eternitates.

Responsio. Huius questionis sensus manifesta ratio dissolvit. Dicit: Siquispiam nolens credere in Christum, per vim baptizatus fuerit, et postmodum in Christum credere acquiescet: numquid iterum baptizandus erit? Minime. Exemplum de parvulis sume, qui cum alienis manibus deferuntur, ut baptizentur, quantum in eis est, toto annisu reluctantur, ne in baptismatis fontem mergantur; sed cum ad rationalem scientiam pertingerint, etiamsi recordari nequeant, quando baptizati sunt, narrantibus tamen indubitanter credunt, et christianam religionem atque baptismi rationem colere incipiunt. Hinc est, quod beatus papa Leo dicit: Si nulla extant indicia inter propinquos et familiares, nulla inter clericos atque vicinos, quibus hii, de quibus queritur, baptizati fuisse doceantur: agendum est, ut renascantur, ne manifeste pereant. Quisquis[c] non ostenditur gestu, ratio non sinit, ut videatur iteratum. De his, qui ex Africa vel Mauritania veniunt et nesciunt, in qua secta sunt baptizati, non se baptizatos nesciunt, sed cuius fidei fuerint, qui eos baptizaverint, se nescire profitentur. Unde quoniam quolibetmodo formam baptismatis acceperint, baptizandi non sunt, sed manus impositionem virtutem spiritus sancti, quam ab hereticis accipere non potuerant[a)], catholicis copulandi sunt. Nonne vides, quia pro

[a] ducti 1.
[b] quia iustitia 1.
[c] quicquid 1.

a) Hic tertia quaternio desinit; reliqua desunt 1. Desinit etiam 3, in media pagina 142/ita . potuerunt :: ∴ ad idem iam in f. 104' linea ultima incip. ab: Interrogatio super his qui p. p. v. etc. exhibet separatim, unde sequentia supplemus.